



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Epistola XVIII. Pio patri, & amico charissimo Macario monacho, & Pontifici.
Flaccus Albinus, In Charitate Christi salutem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

EPISTOLA XVII.
AD PONTIFICEM RICBODVM TREVE-
rensis civitatis & Conuentum.

EPISTOLA XVIII.

Pio patri, & amico charissimo Macario
monacho, & Pontifici.

FLACCVS ALBINVS, IN CHARITA-
te Christi salutem.

QUOD DEVS coniunxit, seculum non separat. Ecce
qui venit ignem mittere in corda suorum, ille faciat
ardere, quod incendit: nec flumina infidelitatis
obruent ignem, qui in altari DEI diu noctuque ardere præ-
cipitur. Nec alienum quislibet audeat ignem portare in
tabernaculum spiritale: ne occidatur ab eo, qui suum sem-
per ardere iussit. Quis est ignis DEI, nisi charitas? & quis
alienus, nisi amor seculi? Ideo duo seruati sunt ex filiis Aa-
ron, propter duo præcepta charitatis: & duo perierunt, pro-
pter seculi amorem, & amatorem illius.

Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur
ab ea. Amemus, quod non auferetur: fugiamus, quod au-
ferri potest. Impium est, diligentem non diligere, & re-
tribuenti non retribuere. Quid retribuit nobis DEVS?
retribuit nobis pro malis nostris bona sua, retribuemus ei
pro bonis suis, bona nostra. Quæ sunt bona nostra nisi ut
diligamus eum, & mandata eius obseruemus? Quæ sunt
mandata illius? ut diligamus inuicem. In his duobus præ-
ceptis tota lex pendet, & propheta.

Cur ista tam longo repetita principio, nisi ut scias ardorem cordis mei? Penè mihi melius esset, te pauperem habere presentem, quàm diuitem absentem. Quid mihi diuitiæ, si non habeo, quem amo, si non considero, quem desidero? Tua potentia, mihi est miseria. Vbi est dulcissimum inter nos colloquium? Vbi sacrarum literarum studium desiderabile? Vbi laeta facies, quam conspiceret solebã? Vbi communio charitatis, quam fraternus amor hinc inde exercuit? Vbi saltem memoria nominis nostri? Ecce totus præterit annus, quo nec literarum cõsolatio oculis aduenit: nec salutationis officium, auribus insonuit. Quid peccauit pater, ut à filio obliuisceretur? Quid magister, ut discipulus neglexerit eum? Fortè exaltatio seculi dedignata est nomen magistri in illo. Aut peregrinatio mea viluit in oculis tuis, aut amor Maronis tulit memoriam mei. O si mihi nomen esset, VIRGILIUS, tunc semper ante oculos luderem tuos, & mea dicta tota perferutareris intentione, & iuxta prouerbium illius, essem apud te,

Tunc felix nimium, quo non felicior ullus.

Quid faciam? an meam doleo infelicitatem, qui nõ sum, quem diligis? an tuam laudo sapientiam, quia diligis illũ qui non est? Filius recessit, Virgilius accessit, & in locum magistri nidificat Maro. Hoc dolens dictauĩ, vel propter obliuionem mei, vel propter absentiam tui: paululum ferociori pumice chartã terens, ut veliratus aliquid rescriberes. Quia bos læsus fortius figit vngulam. Incipe vel defendere te, vel me offendere: ut intelligam studium, quo otium istius anni exercuisti. Et quo thesauro cor impleris tuũ, pande nobis, ut tecũ gaudeamus in bono tuo. Vtinã Euangelia quatuor, nõ Æneidos duodecim peñtus compleant tuũ, & te auehat quadriga ad cœlestis regni palatium, vbi est honor indeficiens, & regnũ sempiternũ: vbi pro me intercedere credo memor eris, quia, ut illuc venires, exhortari gaudebam.